Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 747
Quelle:
Copyright:

Valerium &c. Locus e *Retract.* L. II. c. 53. cui succedit *Epistola* ad ipsum *Valerium*, et deinceps praedicti II. *Libri*, omnia, ut edit. *Maur.* T. X. *col.* 277. etiam Textu valde sincero. Subjecit Scriptor primum:

Qui bona multa cupit, hęc undique carpere nouit.
Sic ego quęque locis reperi degens alienis,
Quę fuerant uisa studiis libralibus apta,
Scribere curaui commendans posteritati.

Et en ridiculum specimen: *Nacta occasione dicere non piget, quid sit mulomedicus et trepedica. Legimus in ypocrate, quia mulomedicus ipse sit archiater, quem medicum dicimus. Mulon namque grece calidum dicitur latine. Mulomedicus compositum est nomen a mulon et medico. Ille quippe specialiter dicitur mulomedicus, qui calida frigidis et frigida calidis curare scit. Refert etiam memoratus philosophus, quod trepedica sit olla ęnea tribus constans pedibus, unde et nomen sortitur, ad hoc facta, ut semper apta sit ad calefaciendas potiones et cetera antidota, quoties res exigit. Hoc genus medicinę intelligunt plures antiquum hostem ferre, ut in trepedica calida et in cornu frigida ferret antidota, ut, cui unum non placuisset, mox alterum prębuisset. Ad hęc etiam dicimus, iuxta quod in cassiniensi monasterio pictum vidimus, quod ligaturę sit species quędam, unde equi uel muli solent ligari* (Etrivière?) *Sed quid horum magis uerum sit, quia sine periculo nescitur, sapientium iudicio relinquimus. Si enim dictum esset, quod mulo sedisset, faueret simplicioribus.* Incassum hic tricabere, ni noris, commentari hominem in illud *Gregorii* M. *Dialogor.* L. II. c. 30. *Dum ad beati Joannis oratorium* (Benedictus) — *pergeret, antiquus hostis in mulomedici specie obviam factus est cornu et tripedicam ferens.* Hanc *Mauriani* triplicem pedicam nempe ad equorum vinciendos pedes interpretantur. Quid vero, si vas tribus pedibus insistens (*Tripodem, Trépied, Dreyfuss*) intelligas ad potiones cornu contentas super igne calefaciendas?

II. *fol.* 51. p. 2. *Incipit Liber S. Aug. De Bono Coniugali.* Videlicet: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est* &c. Ut edit. *Maur.* T. VI. *col.* 319. cui bene consonat Codex.

III. *fol.* 71. *Liber Sancti aug. de sancta uirginitate.* Incipit: *Librum de Bono Coniugali nuper edi*(di)*mus* &c. Ut edit. *cit.* T. *cit. col.* 341. Ad C. 27. *Pergite itaque sancti Dei* &c. nobis haec interjecta Rubrica est: *Sermo Sancti Aug. De Uirginibus.* Lectio sat proba.

IV. *fol.* 103. p. 2. *Liber S. Aug. De Bono Viduali.* Incipit: *Augustinus — Juliane — Ne petitioni tuę et in christo dilectioni* &c. Sequitur etiam T. *cit. col.* 369.